

non modo, sed compositio et forma integra fere deprehenditur. Hebes quidam senex eiusque uxor ad deformitatem insignis agentes inducuntur. Haec ingentis dotis praesidio, quam a parentibus acceperat, suspicionibus ac sollicitudinibus amanti anxia, illum satius necessario excruciat atque sollicitat, quod nimiam mirae pulchritudinis famulae benevolentiam praestare credat, itaque eum agitat itaque verbis perstringit, ut puellam domo dimittere cogat. Iuxta domum eorum interea cum parentibus suis praestantissimae formae puella fortuito domicilium collocat, cuius amore senis filius statim ardet. Iam nuptiae apparantur, cum ex inopinato fit manifesto eam in eo esse, ut parto laboret. Ex armilla, quam puella gerit, colligitur illum ipsum quem amat, esse qui ipsi in sacris nocturnis vim intulerit, ex quo nuptiae matrimonii dignitati statim consentaneae, parentibus utriusque secundis, conficiuntur.

Laudant hunc poetam plures, in iis Ciceró, qui ei primas in comicis poetis fortasse dedisset nisi, cum ceteri aequales Latine loquendi laude praestarent, male eum locutum novisset.

*Cic. de Opt.
gen. 1; Brut.
74.*

P. TERENCEI AFER

XXXIII. Quo anno P. Terentius certe natus sit, vel qua in urbe nondum satis cognitum habemus. Est enim de utraque re inter scriptores controversia. Svetonius, quem nos, certioribus documentis fallentibus, testem sequimur, Carthagine ex parentibus ab interiore Africa oriundis ortum esse tradit; fuisse autem Terentii Lucani senatoris servum, qui eum puerulum a patre surreptum venalemque Romae factum emerit; quamquam non desunt qui eum Romanum et ingenuum fuisse credant Afrumque nomen non a patria sed a colore habuisse. Paulus Orosius vero, qui floruit exeunte quarto saeculo postquam Christus natus est, captum eum existimat. « *Scipio* »

Svet. vit. Ter.

inquit « iam cognomento Africanus, triumphans Urbem ingressus est, quem Terentius, qui postea comicus fuit, ex nobilissimis Carthaginiensibus captivis pileatus, quod indultae libertatis insigne fuit, triumphantem post currum secutus est ». Cui opinioni nihil est cur assentiamur cum, confecto secundo bello Punico necdum inito tertio, natus sit et mortuus Terentius. Ob ingenium igitur et formam a Terentio Lucano, virò nobilissimo ac bene cordato, non institutus modo liberaliter est, sed et mature manumissus. Optimis litteris patroni cura eruditus, in clarissimorum hominum amicitiam pervenit, in deliciisque a Scipione Africano illo, qui Minor dictus est, et a Laelio, sapientissimo viro, habitus; ex quorum consuetudine atque familiaritate morum illam dignitatem loquendi que Latine facultatem didicit, quibus profecto cum natione barbarus esset, urbanissimus civis evasit. Hanc ob causam opinio illa et error fuit, quem detractores eius in populum serebant, ut non ipse, sed patroni fabularum auctores crederentur. Quod cum verum esse non negavisset poeta, propter comitatem suam et gratiam, quam in amicos habebat, fama rei percrebuit. Equidem eum censeo eorum consilio tantum in componendis fabulis usum, ab iisque saepe sciscitatum quid de iis sentirent. Sex fabulas, quae exstant, docuerat iam, cum vel iniuriarum vitandarum causa, vel ut poetarum Graecorum artem penitus nosceret, anno quingentesimo nonagesimo quarto post Urbem conditam Athenas se contulit, posteroque anno, cum Stymphalum devertisset, sex viginti vix annos natus fato concessit. Nonnulli eum naufragio, dum in Italiam navigat, periisse referunt, alii autem morbo, in quem inciderat, alii denique incredibili dolore cruciatum, quod fabulas quasdam, quas in Graecia ex Menandro verterat, quasque ante se ad amicos miserat, mari cum navi absumptas esse novisset.

XXXIV. Sex fabulas Terentius reliquit, quarum, servato temporum ordine, quo in scaenas prodierunt « *Andria* » prima

Cic. VII. ad
Att. 3.

Andria

est. Megalensibus, Romanis ludis, primo in scaenas venit, qui in Cybeles deae matris honorem anno quingentesimo duodecimonagesimo ab Urbe condita magnificentissime apparati sunt. Haec est fabulae res. Pamphilo, iuveni Atheniensi, qui puellam ex Andro oriundam Glycerium nomine amat, vehementer pater non aliam ob causam obstat quominus uxorem ducat, quam quod, cum multos ante annos ea ex naufragio ab ignotis hominibus peregre collecta fuerit, nomen eius verum et genus penitus ignorentur. Res igitur in magnis difficultatibus est, cum Andrius iuvenis quidam ex improvise Athenas venit, cuius testimonio Glycerium Chremetis filiam eam omnibus esse liquet eandemque, quam multis annis ante naufragio amissam crediderant. Re ita comperta, nuptiae apparantur. Secunda fabula, quae « Ἐαυτὸν τιμωρούμενος » inscribitur, hoc est ipse se puniens, in qua senex Menedemus semet ipsum duriter accipit excruciatque quod propter saevitiam suam Cliniam filium in castra stipendia facturum proficisci compulerit tandemque, dummodo filius domum suam redeat, ei uxoris ducendae potestatem facit. Lenissima haec fabula est, tranquilla neque perturbationibus aestuans, ideoque in fabulis illis, quae *statariae* dictae sunt a veteribus grammaticis recensebatur. Fabula tertia, quae « *Eunuchus* » inscribitur, novum exhibet rerum contextum. Adulescens enim in hac, qui primas partes ad conclusionem tenet, puellae cuiusdam causa, quam amat, eunuchum se esse simulat. In eius domum igitur, ut servus acceptus, talem puellae custodiendae operam dat, ut ei obdormienti vim primum inicit deinde eam sibi matrimonio coniungat. Octo milia sestertium hanc fabulam ab aedilibus, qui ludos exhibebant, emptam esse traditum est, eamque theatri ad plausum facilioribus quam ceteras usam.

Fabula stataria « Ἐαυτὸν τιμωρούμενος »

Eunuchus

XXXV. Ad genus aliud fabularum, quae a discursantibus personis et tumultuantibus turbulenter aguntur, quaeque ab iisdem grammaticis *motoriae* appellatae sunt « *Phormio* » mihi in primis pertinere videtur. In hac enim fabula, quae quarta

Phormio fabula motoria

est, parasitus quidam nomine Phormio, non tantum, ut iuvenis cuiusdam cum puella amoribus faveat, omnem adhibet machinam, sed fraudibus etiam utitur, malis consiliis, dolis, insidiis, quibus ab eius parentibus pecuniam extorqueat. Quinta fabula « *Hecyra* » illa est, quae, cum primo edi coepta est, propter invidiam obtreptatorum ad exitum peragi non potuit. Cum autem in L. Pauli Aemilii funeribus celebrandis iterum ederetur — haec autem funera fuerunt anno quingentesimo nonagesimo quarto — qui spectandi causa aderant, scaenis relictis, in alium locum, signo aliquo dato, procurrerunt funambulorum ludos spectatum, qui dedita opera eodem tempore fiebant. Id idem fere Megalensibus ludis repetitum est, nam inita fabula, cum gladiatores inter se more suo contendere coepissent, multitudo, quae eo convenerat, theatrum deseruit. Ad finem tum fabula perduci potuit, cum tertio in Romanis ludis edita spectantium intentionem occupavit. Fabula haec Hecyram nomen habet, quia quidquid in ipsa fit per socrus Myrrhinam et Sostratam agitur. Fabula sexta, quae potior ceteris est, quaeque in aureolis litterarum omnium habetur, ex duobus fratribus, qui primas sibi partes suscipiunt « *Adelphoe* » inscribitur. Eorum alter altera ratione a puero instituitur: Aeschinus aetate maior, ingenue ac liberaliter ab avunculo, qui eum a patre adoptavit, ad omnem civitatis disciplinam in urbe conformatur; Ctesipho contra duriori severiorique vivendi agendique rationi subicitur, quam unam pater, qui ruri cum filio modice parceque versatur, ad honeste vivendum conducere credit. Ex dissimili disparique utriusque institutione, in altero comitas maxima est, maxima in altero duritas. At, aetate progrediente, in amores et voluptates capiendas, ad quas natura ipsa trahuntur, fit pariter uterque proclivior, ita tamen ut, quem pater bene moratum habuerat, is sibi magis indulgeat, ille vero, qui leniore disciplina usus erat, moderatiorem se prudentioremque in deliciis voluptatibusque fruendis exhibeat.

*Hecyra**Adelphoe*

XXXVI. In inveniendis rebus ad fabulas contexendas idoneis, Plautum secutus est, qui a Graecis ut proxime diximus, multa deprompsit. Fabularum nexus iidem fere in utroque sunt, eadem personae; dissimillimi tamen hominum mores, indoles atque natura. Plautus eadem sentit, quae vulgus obscurum, cui scribit; Terentius contra doctrina excultus, in eruditissimorum hominum usu ac consuetudine absolutus, iis sensibus est, ut ad studium probitatis, virtutis, fidei potius feratur. In hominum moribus describendis ridendisque ille petulans est, immodicus, procax plerumque, interdum obscenus; hic elegans semper et dulcis, urbanior in primisque facetus. Quoslibet ille sine discrimine petit lacessitque atque laedit; hic improbos tantum et vitia. Viri mulieresque, qui agentes in fabulis Terentianis inducuntur, spectatis plerumque moribus sunt, integri, temperati, ad humanitatem pietatemque molliores, quam ad vitia et malefacta procliviores. Uxores ingenuae, pudicae, modestae, quae in Plautinis fabulis vel saepius desiderantur, vel penitus absunt, haud raro apud Terentium nobis occurrunt. Meretriculae illae ipsae, quas in scaenas inducit, ne a comicorum more deflexisse dicatur, minus sordidis moribus suis gaudent, quam iniquam conditionis suae fortunam ferunt; nam eo animo sunt, ut pudorem et castimoniam minime amisisse videantur. Lasciviis utique amoribus indulgent homines, neque tamen patres pravis exemplis apertisque liberos offendunt, neque item filii foede parentibus irrident. Atque etiam vehementiores mentis atque appetitus motus cohibent, ne aut nimium rationi non obtemperantes videantur, aut inconsulto iniurias aliis inician. Infima illa servorum, mancipiorum, parasitorum, nebulonum faex, quae Plauti scaenas frequentat, abest a nostro; servi enim ipsi et clientes urbaniores sunt, similiores benevolentioresque dominis, quorum commodis perdiligenter adsunt et inserviunt. Hinc fit ut in describenda ea hominum parte, qua cives boni patriciique continebantur, et ad verum quam proxime potest

*Comparativa
fabularum
iudicatio*

accedat et Plautum, ut ita dicam, expleat et perficiat, idemque etiam turpem vitiorum illius imaginem pulchrioribus coloribus emendet.

XXXVII. Orationis quoque genere inter sese maxime distant. Plautus vulgari et cotidiano illo multitudinis sermone utitur, qui solus ei notus erat, qui salibus valde, facetiis, obscenitatibus, iocis, maledictis, execrationibus abundat, verbisque illis abutitur, quae aliud aperte sonant, aliud tecte significant, aliud intelligere sinunt. Terentius urbaniozem illum sermonem lepore et venustate plenum, argutiis, facetiis, verbis concinne dictis conditum, adventiciis importatisque a Graecia vocabulis sparsum adhibet semper, quem in hominum eruditorum illorum ore deprehenderat, quorum familiaritate assidue utebatur. Hac de causa ut Plautus dicendi facilitate et vi, quae comicorum poetarum propria est, atque verborum copia Terentium facile praestat, ita sermonis munditie, decore, venustate, arte, quae eruditorum sunt, non modo cum eo non contendit, sed ab eo superatur omnino.

Contaminatione Terentius quoque usus est in conficiendis praesertim illis tribus fabulis Andria, Eunuchus, Adelphoe, cuius rei cum a malevolis ob invidiam quam diximus, acerbius accusaretur, id aliorum exemplo Naevii, Plauti, Ennii se fecisse defendit. Cum a Menandro multa deprompsisset, atque etiam interdum meliora fecisset, Menander Latinus a Cicerone, a Cesare autem, cui vi comica quasi carere visus est, dimidiatus Menander est appellatus.

Ter. Andr.
prol. v. 17 et
segg. Svet.
Vit. Ter. 5.

MINORES FABULARUM SCRIPTORES

XXXVIII. In palliatis quoque fabulis docendis, multi inter Terentii aequales suppareve operam posuerunt, qui tamen eo longe inferiores fuere. In his recensendus est *Trabea* ille, cuius Cicero quibusdam in locis meminit, et in Tuscu-

lanis nonnullos versus et pulchros refert. Eum apud Charisium Varro quoque laudat, quod in concitandis animi sensibus, quos Graeci «*πάθη*» nominant, multum valeret. Tum etiam *Lucinius Imbrex* — qui idem videtur ac *Licinius Tegula*, quem ex Livio carmen, sicut patrum memoria *Andronicum*, ter novenis virginibus canendum per Urbem composuisse novimus —; huic igitur Gellius in comicorum poetarum tabula quartum locum assignat eiusque versus refert ex fabula, quae «*Neaera*» inscribatur. Tum postea *L. Atilius*, cuius mentio ter apud Ciceronem occurrit. Eum poetam durissimum appellat eiusque notat illud, quod cessit in proverbium: «*Suam cuique sponsam, mihi meam; suum cuique amorem, mihi meum*». Eundem tamen *Volcaci* in tabulis *Terentio* praeponit. Tum *Platius* et *Aquilius* qui a Gellio memorantur; tum *Luscius Lanuvinus*, qui in theatro acriter *Terentio* adversari ausus est; tum *Sex. Turpilii*, quem Cicero cum *Terentio* ita confert, ut cum eo aliquomodo aequare videatur. Nec immerito quidem, nam quantum ex *Turpili* fabularum fragmentis, quae supersunt, nobis colligi licet, quae morum probitas in *Terentio* laudabatur, eadem in eius fabulis reperiebatur eadem in utroque sententiarum pulchrarum frequentia inerat, eadem concinnitas atque elegancia sermonis.

XXXIX. Fabula palliata, quam *Andronicus* importaverat, cum personas Graeco more palliis indutas perpetuo in scaenis exhiberet — erat autem pallium Graecis peculiare, ut Romanis toga — eam earundem usque rerum, quae in iis agebantur, satietatem fecit, ut Romanis pedetemptim placere destiterit. Ipsa itaque defessa et labente, cum multitudinis favor in togatam concessisset, quae mores civium italico aceto perfunderet, brevi tempore accidit ut ab hac una Romanorum theatrum occuparetur. Huiusmodi fabularum generis quattuor species erant, quae propter dissimilitudinem personarum quas inducebant, *togatatae*, *tabernariae*, *atellanae*, *planipediae* vocatae sunt. Primae erant illae in quibus magistratum, qui

Cic. IX ad Fam. 21; II. de Fin. 4; IV. Tusc. 31.

Liv. XXXI ab Urb. cond. 12.

Gell. XIII. Noct. Att. 23.

Cic. XIV ad Att. 20; I. de Fin. 2; IV. Tusc. 11.

Ter. Eun. prol. 8 et segg.

Cic. IV Tusc. 34.

Fabularum genera

tunica vel purpurea praetexta induti erant, mores pravi et vitia carpebantur; secundae vero in quibus cives privati, mercatores, caupones, qui merces suas in tabernis vendere consueverant, agentes et colloquentes inducebantur; tertiae in quibus municipes et coloni iocis et salibus inter sese vellicantes prodibant; quartae denique in quibus personae ob res humilissimas, quas agerent, neque cothurnis utebantur, neque soccis. Primus, ne ab inita temporum servandorum ratione discedam, multitudinis voluntati *Titinius* indulgit, qui fabulis tabernariis eodem tempore, ut videtur, operam dedit, quo *Terentius* in palliatis tantum docendis versabatur. *Titinii* fabularum nomina quindecim tradita sunt, nec non quaedam fragmenta, ex quibus res ipsas, quae in iis agebantur, conicere facile possumus. In fabulis vero illis, quae « *Setina* » « *Veliterna* » « *Ulubrana* » « *Ferentinatis* » inscribentur, municipes ex Latinis, ex Oscis, ex Umbris ad patrium civitatis cuiusque morem agentes et colloquentes inducebantur; in aliis, ut in « *Caeco* » vitia, rudi ac parum exquisito multitudinis sensui indulgens; in aliis denique, ut in « *Tibicina* » mulieres, quae virilem artem exercebant, poeta in scaenas agebat ridendas.

XL. Novam rationem, quam in fabulis conscribendis *Titinius* invenerat, *T. Quintius Atta* et *Lucius Afranius* secuti sunt, quorum alterum undecim fabulas composuisse traditum est, in quibus erant « *Aedilicia* » « *Aquae calidae* » « *Conciliatrix* » « *Matertera* » « *Socrus* » « *Megalensia* » quae Augusti etiam aetate a patribus, qui eas spectarent, laudari non desitae sunt; alterum vero, cum genus hoc ad perfectionem suam promovisset, *Menandrum* togatum esse ab aequalibus appellatum. Huius fabularum nomina ad quadraginta circumferuntur, inter quae sunt « *Abducta* » « *Brundusinae* » « *Bucco adoptatus* » « *Consobrini* » « *Divortium* » « *Emancipatus* » « *Prodigus* » ceteraque similia. Primas in theatro post *Plautum* et *Terentium*, veteribus scriptoribus testantibus, eos tulisse certissimum est. In moribus hominum describendis,

naturam et ingenium ipsorum inquisivisse ex Ciceronis verbis conicimus, qui de variis animorum perturbationibus agens, sotes morderi delictorum conscientia bene esse censet «*ex quo*» ait «*illud a vita ductum ab Afranio: Dum modo doleat aliquid, doleat quidlibet*». Atque etiam altero loco poetam perargutum et disertum appellat. Quam in sententiam et Quintilianus convenit qui: «*Togatis*» inquit «*Afranius excellit*» quamquam rigidior addit: «*utinam non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fassus!*»

Cic. IV.
Tusc. 20;
Brut. 45.

Quint. X.
Inst. I. 100.

XLI. Turbulentissimis Sullanis temporibus, cum civitatis mores avaritia, largitionibus, otio, luxu magis magisque ad lasciviam labi atque praecipites ire coepissent, vetus genus etiam fabularum Atellanarum, quod integra stante maiorum disciplina, et pudicum fuerat atque castum honestumque, incontines factum est neque a turpi libidine immune. Artem tamen quandam ad perfectionem a poetis duobus *Novio* et *Pomponio* habuit, qui earum ex integro scribendarum miorem induxerunt. Hic aetate paulo inferior *Bononiensis* fuit; illius nihil aliud praeter nomen novimus. Utriusque igitur industria Atellanae post fabulas tragicas, exodii instar, edebantur, ut quidquid lacrimarum atque tristitiae coegissent qui heroum rebus, casibus, immanitatibus adfuerant risu iocisque detergerent atque levarent. Ambiguus uti verbis, quae a similibus ad obscena significanda trahuntur, in Atellanis primus Pomponius instituit. Fabularum personae pro diversis temporum moribus in alias atque alias duplicatae sunt atque in species iteratae. Maccus igitur ita in cauponem modo versus est, modo in militem, modo etiam in virginem, ut idem semper esset atque alter. Invicem Pappus modo agricolae personam gessit, modo praeteritus munerum publicorum petitor evasit. Is in fragmento ita de populari inconstantia proloquitur:

Atellanæ de-
formantur

*Populis voluntas haec est et vulgo data,
Refragant primo, suffragabunt post, scio.*

Dossennus quoque et Bucco in duos geminati sunt, quorum alteri alteris simillimi erant. Hinc rerum omnium ridendarum licentia antiquitus nata percrebuit. Non agricolae et bubulci, quod rudioribus essent moribus, non Galli tantum, Campani, Osci, ceterae Italarum gentes, quod ab Urbis cultu atque humanitate abessent, non citharistae tantum, poetae, philosophi maledico dente carpi coepti sunt, sed patres ipsi, augures, pontifices, vestales, sacra profanaque omnia in scaenas vel foede ridenda vel arrogantius contemnenda comicorum poetarum opera prodiderunt.

M. PACUVIUS ET L. ACCIUS

XLII. Genus illud poematis gravissimi, quo regum principumve, aut eorum, qui in aulis regum versantur, aerumnarum, moerores, calamitates depinguntur, ad perfectionem quasi et absolutionem eam, quae in litteris Latinis esse potuit, M. Pacuvius et L. Accius promoverunt, poetarum tragicorum maximi. Brundisii Pacuvius, Ennii sorore anno quingentesimo tricesimo quarto post conditam Urbem ortus, non admodum grandis natu, sed puer paene adulescens cum avunculo suo Romam venit, ibique ad studia omnia inflammatus huius exemplo in litteras artesque colendas tanta diligentia incubuit, ut in his unis viveret, his delectaretur, his perfrueretur. Plinius auctor est pingendi artem post Q. Fabium, qui Pictor appellatus est, eum exercuisse eamque clariorem fecisse gloria scaenae. Nomen tamen suum fabulis tragicis, quas ad extremam aetatem componere non destitit, in posteritatem commendavit. Quo erat liberali ingenio apertoque indoleque et candida et modesta multis clarissimisque eius aetatis hominibus gratus acceptusque fuit, Laelio vero carissimus, qui eum apud Ciceronem hospitem atque amicum appellat. Cum autem multum aetate proventus esset, propter valetudinem

*Plin. XXXV.
Nat. Hist. 7.*

*Cic. de Amic.
7.*

Tarentum, prope urbem patriam, revertit. Fama fert ad eum ibi commorantem, Accium poetam, tunc haud parvo iunior, proficiscentem in Asiam venisse, ut eum salutaret pulchre; cumque ab eo petivisset senex, ut benigne versus suos ex Atreo legeret, idque Accius fecisset, sonora quidem esse, quae scripsisset et grandia Pacuvium respondisse; sed videri tamen ea sibi duriora esse paulum et acerbiora. Cui Accius « *Ita est* » inquit « *uti dicis, neque id me sane paenitet* : *Cell. XIII. Noct. Att. 2.* *meliora enim fore spero, quae deinceps scribam* ». Nonaginta fere annos natus obiit, cum epigramma composuisset, quod sibi mortuo inscribi iusserat in sepulcro :

*Adulescens, tametsi properas, te hoc saxum rogat
Uti ad se aspicias, deinde quod scriptum est legas.
Hic sunt poetae Pacuvii Marci sita
Ossa. Hoc volebam nescius ne esses. Vale.*

quod epigramma Gellius verecundissimum et purissimum dignumque eius elegantissima gravitate esse dicit.

*Cell. I. Noct.
Att. 24.*

XLIII. In fabulis componendis plane suus esse voluit, quamquam egregias et divinas prope tragoedias poetarum Graecorum studiose perlegerat. Ex rebus, quae in illis continebantur, quattuor tantum a Graecis eum deprompsisse nobis inferri licet; ceteras ad decem ipse invenisse videtur. Praestantior cum rerum immanitate atque atrocitate tum quoque sententiis gravissimis, perturbationibus animorum, verbis concinnis « *Antiopa* » habebatur, de qua est Ciceronis iudicium : « *Quis* » ait « *tam inimicus paene nomini Romano est, qui Antiopam Pacuvii spernat aut contemnat?* » Huius en argumentum quod ex eius fragmentis narrationibusque aliorum scriptorum eruimus. Iuppiter ergo in satyrum versus Antiopam, Lyci uxorem, Thebanorum regis, comprimit, quam ob causam vir eam repudiat in eiusque locum Dircem uxorem ducit. Haec in vincula illam conicit. Verum, instante

Antiopa

*Cic. I. de
Fin. 2.*

partus tempore, Antiopa ruptis vinculis in Cithaeronem montem se recipit, ubi geminos filios parit, Amphionem et Zethum, qui a pastoribus inventi educantur. Ille poesim, cantum, musicam colit; hic pecudibus gaudet, feris, silvis. Comperta tandem origine sua, acerrimi maternae iniuriae ultores existunt; Lycum patrem necant, Dircemque indomito tauro alligatam perdunt. Exstat huius rei in Neapolitanis aedibus, in quibus quidquid vetustatis manet religiosissime colitur et asservatur, ingens marmoreum signum pluribus figuris constans, quod Dirces supplicium ad veri similitudinem mirabiliter effingit et exprimit.

XLIV. In tristissimis illis aerumnis, calamitatibus, casibus fortunisque, quibus deos heroesque a primis hominum saeculis laborasse traditum erat, versabantur ceterae quoque Pacuvii fabulae tragicae quae « *Armorum iudicium* » « *Atalanta* » « *Chryses* » « *Dulorestes* » « *Hermiona* » « *Iliona* » « *Medus* » « *Niptra* » « *Pentheus* » « *Periboea* » « *Protesilaus* » « *Teucer* » inscribebantur. Erat et in his poeta magniloquens et grandis, sapientibus sententiis clarissimus, gravibus verbis ornatus in quibusdam earum locis Sophoclem aemulans, vel etiam, Ciceronis sententia, superans quasi. Iudicium enim de Niptris Pacuvii ferens Arpinas, institutaque comparatione hunc inter et Sophoclem « *Pacuvius* » inquit « *hoc melius quam Sophocles — apud illum enim flebiliter Ulixes lamentatur in vulnere — ; tamen huic leviter gementi illi ipsi, qui ferunt saucium, personae gravitatem intuentes non dubitant dicere* » atque cetera. Videlicet Cicero maiorem dignitatem in Pacuviano Ulixee deprehendit quam in Sophocleo, siquidem ille ex ferendi doloris consuetudine tolerantior se exhibet atque animi constantioris. In fabulis Pacuvii illa quoque memoria digna est, quae « *Paulus* » inscribebatur quaeque praetextata fuisse videtur.

Ad dictionem quod attinet, cum litterae ad id tempus rudes essent, Pacuvius tamen vitio suo male locutus ab eo-

Fabulae tra-
gicae

Cic. II. Tusc.
21.

dem Cicerone dicitur. Hic enim cum locutionem emendatam in C. Laelio et P. Scipione laudet « *aetatis illius* » addit « *ista fuit laus, tamquam innocentiae, sic Latine loquendi: nec omnium tamen; nam illorum aequales Caecilium et Pacuvium male locutos videmus. Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant neque eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur* ».

Cic. Brut. 74.

XLV. Pacuvio longe iunior, ut paulo supra diximus, L. Accius fuit, qui Pisauri quinquaginta annis post illum *parentibus libertinis* natus est. Cum litterarum discendarum causa Romam venisset, in doctissimorum hominum circulis versatus Scipionis Africani illius, qui Minor dictus est, et D. Bruti familiaritatem sibi comparavit, cumque senex esset multos admodum annos natus Ciceronem adolescentem novit. Cuius rei Ciceronem ipsum testem produco, qui ex eo audire solitum esse affirmat Brutum fuisse disertum et Latinis Graecisque litteris, ut temporibus illis, eruditum. Altius de se sensisse poeta ex hoc conici potest quod, cum brevi pusillaque statura esset, nihilominus sibi in Camoenarum aede statuam maxima forma ponendam curavit. Item, cum saepe in poetarum collegio sedisset, venissetque postea Caesar Strabo, tragoediarum scriptor idemque genere praestantissimus, numquam superbe eum surrexisse traditum est, ne id illius honorandi causa a se factum videretur « *quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur* ». In Romanorum scaenis quinquaginta amplius annos cum regnavisset, senio confectus obiit septuagesimum sextum annum agens.

Hieron, in
Chr. ad ann.
584.

Cic. Brut. 28.

Plin. XXXIV.
Nat. Hist. 10.

Val. Max. III.
Mem. 17.

XLVI. Non idem semper litterarum genus coluit; nam praeter tragicas fabulas, de quibus mox dicturi sumus, vestustiores poetas imitatus, epicum poema composuit de rebus antiquis cum ad deorum cultum, tum ad civitatem spectantibus, quod « *Annales* » inscribebatur. Tria alia poemata confecit, primum « *Praxidica* » de re agricola; secundum « *Pragmatica* » de grammaticorum quaestionibus; tertium

Annales et
poematia

Fabulae tra-
gicae

«*Didascalica*» in quo de omnibus litterarum generibus, tum maxime de arte scaenica multa dicebat. In componendis tamen fabulis tragicis longe maior fuit et uberior. Earum tituli ad quadraginta fere septem manent, ex quibus eum feracissimo ingenio usum esse colligimus. In hos titulos inserendi «*Achilles*» «*Aegisthus*» «*Atreus*» «*Clytaemnestra*» «*Medea*» aliique, qui eum sane pertractasse omnes fere Graecorum fabulas ostendunt; tum etiam «*Brutus*» atque «*Aeneadae*» seu «*Decius*» qui rem Romanam indicant. Scite ac subtiliter ex Graecis fabulas eas in Romanorum scaenas importandas elegit, quae personarum dignitate rerumque granditate ad animos dolore afficiendos in primis essent idoneae. Eandem ob causam Brutum illum in scaenis agentem induxit, qui ut tyrannum eiceret egregium animum stultitia celaverat, qui oratione habita ad proceres et plebem seditionem concitaverat, qui denique cum Arunte singulari certamine pugnant occiderat. Atque etiam D. Murem, quem nigra veste indutum devoventemque se in discrimine pugnae diis manibus pro reipublicae salute in scaenas agebat, ob eandem causam in altera fabula repraesentandum assumpserat.

XLVII. Ex fabularum versibus, qui exstant ad septingentos fere, Accium videmus carminum fundendorum artem penitus novisse, quo facile evenit ut ab aequalibus multis ornaretur laudibus. Neque immerito quidem; nam opimo quodam ipse orationis genere, ut Graeci, et dulci interdum, et molli utitur sententiasque graves verbis suis, plenis, sonantibus, apteque iunctis illustrat. Huius poetae a Quintiliano cum Pacuvio comparatio instituitur. «*Tragoediae scriptores veterum*» ait «*Accius atque Pacuvius grandissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse; virium tamen Accio plus tribuitur; Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti adfectant, volunt*». A Cicerone vero ex

Quint. X Inst.
1. 97.

omni poetarum tragicorum numero, qui Romae floruerunt, Ennius, Pacuvius, Accius, terni quasi ita eliguntur, ut Aeschylus, Sophocles, Euripides a Graecis; iisque cum parem paene laudem in dissimili scribendi genere facile tribuat, Accium tamen et gravem summumque atque ingeniosum appellat. Indulsisse videri potest Cicero nimio studio rerum Romanorum, cum ternos ternis aequavisset, nemo tamen est, qui non videat, quantum dignitatis, granditatis, perfectionis scaenis tragicis attulerint Romani, quae culmen profecto attigissent, si eadem contentione et industria poetae, qui postea fuerunt, in fabulis tragicis elaboravissent. At tragicum genus aetate, quae subsecuta est, paulatim defloruit. Neque enim *C. Titus* eques, neque *I. Caesar Strabo*, qui anno sexcentesimo quinquagesimo nono post Urbem conditam aedilis fuit et in Marianis discidiis interfectus est, aut maiorem aut parem dignitatem scaenis dederunt, quam antea assecutae erant; etenim hic argutiis, quibus in orationibus dicendis utebatur, tragoedias quoque haud opportune exornavit; ille vero ad lenitatem quandam sine nervis eas inflexit.

*Cic. III. de
Orat. 7; pro
Planc. 24
pro Sext. 26.*

C. LUCILIUS.

XLVIII. Eadem aetate, qua *L. Accius* in scaenis regnavit, nobilissimus poeta alius, qui aemulus illi atque adversarius exstitit, in diverso carminum genere floruit. Etenim *C. Lucilius*, de quo sermo nunc mihi habendus est, paulo natu minor quam ille fuit, in carminum vero condendorum arte par omnino, vel etiam superior, longe tamen apud posteritatem maior laude nominis ac gloria. *Suessae Auruncorum* equestri genere ortus est, unde eum *Iuvenalis Auruncae* alumnum appellat, quia *Suessa Auruncae* colonia fuit. *Adulescens* militiae operam dedit in equitibus, belloque *Numantino* pugnavit, quod *P. Africanus* egregie confecit. Quo

*Iuv. 1. Sat.
20; Vell. II.
Hist. Rom. 9.*

autem anno natus sit, nondum satis certis argumentis nobis constat. Divus Ieronymus auctor est eum anno sexcentesimo sexto post conditam Urbem esse natum; at illum in errorem incidisse credimus. Facta enim dinumeratione, si verum annum, quem ipse statuit, tenere volumus, Lucilium sequitur stipendia meruisse, cum non amplius quattuordecim annos natus esset; bellum nam Numantinum, cui eques interfuit, anno sexcentesimo vigesimo Romanorum victoria compositum est. Etiam de anno, quo post militiam in Urbem venerit, satis ambigitur. Certum tamen est eum, propter urbanitatem summam et doctrinam, quibus saepe a Cicerone laudatur, Scipione Laelioque familiarissime esse usum atque ceteris etiam civibus satis acceptum fuisse, licet in eos bonis de causis invehi solitus esset. Cum enim re familiari uteretur amplissima molestisque victus comparandi curis vacaret a muneribusque publicis alienissimus esset, munus illud suum fecit, ut «*uni aequus virtuti atque eius amicis*» quidquid pravi mali que esset in moribus, non civem quemque singillatim adgressus, sed omnes generatim carpens, tristissima infamia notaret. Neapoli mortuus est anno post Urbem conditam sexcentesimo quinquagesimo uno.

XLIX. In conficiendis satirarum libris, quorum XXX adnumerabantur, cum Ennium sibi imitandum proposuisset, ingenio suo et naturae tantum indulgit, ut, versibus hexametris saepius adhibitis atque domestico et vulgari quasi sermone, quo in colloquendo cotidie utebatur, proprium aliquid atque singulare in litterisque novum invenisse videretur. Hanc ob causam Plinius eum *stili nasum* primum condidisse affirmat. Satirarum fragmenta tanta tamque uberrima exstant a veteribus scriptoribus relata, ex quibus non lineamenta tantum, sed integra fere earum forma et contextus erui possint.

In primo earum libro quem, Porphyrione teste «*Deorum concilium*» inscriptum fuisse constat, dii deaque in concilium a poeta convocabantur, ut in corruptos homines poenas

Cic. III. de
Orat. 6; I. de
Fin. 3; XII.
ad Fam. 16.

Plin. prooem.
Nat. Hist. 6.

Lact. IV. Div.
Inst. 3.

sancirent. Colloquentes tamen inter se atque disputantes in convicia, in altercationes, in rixas, hominum instar, dilabebantur, ut ridicule magis quam vere ad bonam frugem eos revocare velle videretur. In Lentulum Lupum tandem, qui senatorii ordinis princeps erat, perinde ac si in eo essent fontes et capita scelerum omnium, quibus patria disciplina vitaretur atque depravaretur, remotis dubitationibus, decernebant iubebantque ut unus pro civibus capite suo poenas flagitiorum expenderet. Hic, Cicerone teste, Lentulus ille esse videtur, qui consul cum C. Marcio Figulo quingentesimo nonagesimo septimo anno post conditam Urbem fuit, diversus ab illo, quem scholiastes Horatii P. Antisium Lupum appellat; nam hic consul fuit anno sexcentesimo sexagesimo altero, cum Lucilius mortuus erat. In libro autem secundo, recensitis fere civium ordinibus, vel eorum mores generatim carpebat, vel singulos, qui seu dignitate aliqua seu honore seu muneribus publicis alios praestarent, si causam praeberent, molestissime exagitabat. Ne poetarum quidem maximorum vitiis indulset, etiamsi, ut Ennius, iam mortui, aut sui aequales, ut Accius essent. Cives etiam illos in hoc libro adgressus est, qui propter studium Graecorum imitandorum Graeculi appellabantur, in iisque singillatim Albucium quendam, quem his versibus ridet:

*Cic. I. de
Nat. Deor. 23.*

*Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti Titi et Anni centurionum,
Praeclarorum hominum ac primorum signiferumque,
Maluisti dici. Graece ergo, praetor Athenis,
Id quod maluisti, te, cum ad me accedis, saluto:*

« Χαῖρε » inquam « Tite! »; lictores, turma omnis chorus ceu
« Χαῖρε, Tite! » — *Hinc hostis mi Albucius atque inimicus.*

L. In tertio libro iter suum ad Capuam, quo contenderat, deinde ad Messanam, lepidissimo illo orationis genere nar-

*Horat. I.
Serm. 5.*

rabat, quod postea Horatius in notissimo sermone imitatus est. In ceteris denique, ne multa enumerando longius a proposito digrediar, modo homines illos notabat, qui divitiis cumulandis reponendisque unice student, modo qui epulis eas et viscerationibus, ludorum conviviorumque apparatu immodice profundunt, mulieres modo ignominia afficiebat, quae in libidines, procacitatem, generis cuiusque turpitudines, ut Veneris appetitum expleant, quem Graeci « ἀρροδιασμόν » vocant, indecore turpiterque trahuntur. Hoc non coniectura tantum suspicamur, sed ex fragmentis, quae supersunt, colligimus, atque etiam ex duobus aliis saturarum titulis inferimus, qui a veteribus eruditis nobis traditi sunt. Alter « Fornix » est, alter « Collyra » : hic, si rei nomen respondet, argumentum indicat. Collyra enim per facilem vocabuli traiectionem idem fortasse apud Lucilium sonabat ac apud Tertullianum, qui hoc nomine mulierum levitatis ridendae causa ornamenta rotundae figurae significat. Atque etiam ille; nam apud Horatium et Iuvenalem fornices cameratae cellae dicuntur, in quibus pueri meritorii et meretrices prostabant. De multis aliis rebus agebat in satiris, nam cum in otio suo hanc sibi sumpsisset provinciam, ut hominum mores ridendo castigaret, vitam omnem peragravit, ut flumini similis lato multisque imbribus copiosissimo, cuius humore lutulento arva saginentur, civibus suis egregia de recte vivendo praecepta impertiretur. Hinc eius dicendi genus grave et argutum; hinc concinnae acutaeque sententiae de vita sumptae, quibus aut quid esse oporteat in vita, aut quid sit, sapienter ostendit; hinc clausulae breves in versibus positae, ut haec:

Hunc laborem sumas, laudem qui tibi aut fructum ferat

hinc modo ira modo dolore ardet et cruciatur, hinc tumido animo virtutis desiderio frendit, hinc etiam interdum « γέλωτα σαρδώνιον » hoc modo ridet :

Vivite lurcones, comedones, vivite ventres!

Porphyrii
Hor. Car. I.
22.10; Arnob.
II. Adv. Gent. 2

Hor. I. Serm.
2. 30; Iuven.
3. Sat. 156 et.
11., 171.

LI. Maxima versuum varietate in satiris usus est; septenarii trochaici, invicem, senarii iambici, impares modi in fragmentis inveniuntur, frequentiores tamen hexametri, qui post eum in communem poetarum satiricorum usum venerunt. Etiam in hoc Horatius, qui eius studia aemulari usque contendit, eum auctorem et magistrum secutus est, eumque maximis laudibus cumulat, quamquam in iudicio de toto satirarum genere ferendo, cum eum *pigrum scribendi ferre laborem* inveniat, acerbitatem quandam in eius versibus notat nimiamque reprehendit verborum ubertatem. De hoc Horatii iudicio haec Quintilianus: «*Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, et esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas, et abunde salis*». Solebat Adrianus imperator omnibus aliis poetis Lucilium praeferre, qui tamen nimio mihi elatius de poeta vel mirabilius sensisse videtur. Nemo tamen in dubium revocare poterit quin, ut ex Quintiliani sententia aperte liquet, Italorum aceto illi, quo cives vel occentationibus, quas in primo libro memoravimus, vel mimis et pantomimis inter se vehementius carpebant, leporem quendam et salem multum multamque immiscuerit sapientiam seque talem exhibuerit poetam, ex cuius schola bene inventae mordendorum hominum disciplinae alumni vel interpretes Horatius, Persius, Iuvenalis, ceteri minores proficiscerentur.

Quint. X
Inst. I.

POETAE MINORES

LII. In eadem litterarum adolescentia, quam nunc indagamus, poetae minores nonnulli floruerunt, quorum alii in

Poetae epici
minores

Macr. VI.
Sat. 3. 6 et
5. 8.

Cic. Brut. 35;
Macr. VI.
Sat. 1. 31 et
3. 5 et 4. 10

aliis carminum generibus versati sunt. Eorum memoriam, carminibus penitus intercisis, ex grammaticorum libris eruimus, apud quos vel nomina memorantur, vel etiam versus aliquot referuntur. Genus epicum igitur, praeter Andronicum, Naevium, Ennium, alios, quorum suo loco meminimus, Hostius, A. Furius, Cn. Matius coluerunt. Primus avus, ut videtur, Cynthiae illius, quam Propertius pluribus elegis celebravit, Romanus fuit, quamquam eius genus ab urbe Hostia originem duxisse nominis indicio suspicamur. Poema epicum in duos libros exactum confecit, quod « *Annales belli Histrici* » inscribèbatur. Haud inter criticos convenit, utrum de bello primo in eo ageretur, quod Ennius Annalium libro XVI celebrarat, an de secundo, in quo C. Sempronius Tuditanus consul de Histrianis gentibus triumphaverat. Secundum vero Furium, qui ab urbe patria Antias appellatus est, quem Cicero familiarem Q. Lutatio Catulo fuisse testatur, poema de rebus Romanorum XI saltem libris constans composuisse cognitum habemus, nam Macrobius undecimum memorat. Tres poematis versus manent, qui verbis et compositione usque eo cum tribus Virgilii conveniunt, ut dimidiatos ab illo hic surripuisse, vel aurium ope retractasse memoriter videatur ille :

Interea Oceani linquens Aurora cubile

ait, ex quo leniorem mollioremque hic exprimit versum :

Tithoni croceum linquens Aurora cubile

atque etiam magniloquente granditate quadam primus :

Quod genus hoc hominum Saturnio sancte create ?

et rotundiore profecto ore quam secundus in suo :

Quod genus hoc hominum, quaeve hunc tam barbara morem ?

demum verbis exquisitius ad sonum consonantibus Furius :

Rumoresque serunt varios, et multa requirunt

cui versus hic minus apte apud Virgilium respondet :

Rumoresque serit varios, ac talia fatur

Gellius verba *lutescere, noctescere, virescere, purpurare, opulescere*, quibus Antias usus erat, contra Caesellium Vindicem strenue defendit, qui novis vocabulorum fictionibus linguam ab illo dedecoratam esse autumabat. Tertius, Cn. Matius, Iliadem ad verbum Latine vertit, praetereaque mimiambos nonnullos, Herodem imitatus, composuit.

LIII. His accedunt *Ninnius Crassus*, de quo nihil aliud novimus praeter quam quod Iliadem atque etiam Cyprias ex Graecis transtulit; *Q. Valerius Soranus, Volcaci* *Sedigitus, Porcius Licinus* qui, cum in poematiis eruditissimis, de litteris, de carminum fundendorum arte pertractavissent, in numero poetarum eorum habendi sunt, qui ad praecepta tradenda carminibus utebantur. Cicero Valerium togatorum omnium litteratissimum appellat neque, si verum dicimus, immerito; nam et Cleanthis philosophi stoici hymnum in Iovem, gravissimis abditisque sententiis refertum, verbum e verbo reddidit; de versuum numeris et mensura, deque verbis, unde caderent, quibus litteris scribenda essent, quid sonarent denique, poema confecit. Volcaci *Liciniusque* poemata de vitis et moribus poetarum alter altera tamen ratione composuere. Hic enim poetarum omnium memoriam complexus est, ille comicis rem definivit. Licinii sunt versus :

Poetae didascalici qui dicuntur

Poenico bello secundo, Musa pinnato gradu

Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram

qui cum Horatianis de eadem re ab eruditis circumferuntur.

LIV. Exiguum aliud carminis genus ad id tempus a Romanis inusitatum, quod paucis versibus sententiam aliquam argute concludit, quodque Graece «ἐπιγραμμα» appellatur, in communem fere poetarum usum venit. Eo enim ad res leves significandas utebantur, vel ad gratias agendas iis, a quibus aliquid beneficiorum accepissent, vel ad carpendos homines malos, vel ad significandos puellis amores. In his poetis recensendi sunt: tum *Titus Quintus Atta*, qui fabulas togatas quoque docuit; tum *Porcius Licinius*, quem inter poetas comicos supra memoravi; tum etiam *Q. Lutatius Catulus*, qui non solum propter res eas, quas cum Mario gesserat in Cimbros, fama percrevit, sed poetae quoque laude nominari voluit. Eius epigrammata duo exstant, alterum in ephenum quendam, alterum in *Q. Roscium Gallum* minimum eximia venustate insignem, quod Cicero refert:

*Constiteram exorientem Auroram forte salutans
Cum subito a laeva Roscius exoritur;
Pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra
Mortalis visust pulchrior esse deo.*

LV. Huc etiam addi possunt versus nonnulli saturnii, marmore inscripti, quibus consules res domi militiaeque gestas in posteritatem propagandas committebant; a poetis hi incognitis nobis plerumque componebantur. Huiusmodi noti versus saturnii sunt, quos *L. Accius*, poeta tragicus, *Bruti* iussu, ad antiquorum poetarum morem factitavit, ut in vestibulo aedis Martis inciderentur; atque etiam qui in tabula triumphali *M. Acilii Glabrionis* legebantur, in quibus ille:

Fundit, fugat, prostèrnit màximàs legiònes

brevis quidem et pressus hic, neque sine nervis et viribus, quem cum legerem Caesaris illud *veni, vidi, vici* in memoriam mihi redibat. Ex versibus saturniis quoque, qui erant

*Primi epi-
grammatum
scriptores*

*Tituli in
marmore in-
scripti*

*Cic. pro
Arch. 11;
Plin. XXXVI
Nat. Hist. 36
5. 26*

in tabula supra valvas templi Larium permarinum, quod L. Aemilius Lepidus dicaverat, Livius titulum, quem ipse ad verbum referre affirmat retractasse videtur. Huc denique spectant epitaphia, quorum duo in Scipionum laudem, apud Ciceronem exstant, nec non alia multa in lapidibus inscripta.

*Cic. II. de
Leg. 22; V.
Tusc. 17.*

VETUSTIORES RERUM NARRATORES

LVI. Historia, quae ab initio rerum Romanarum nihil aliud fuerat nisi annalium confectio, ad Graecorum consuetudinem tunc conscribi coepta est, cum confecto bello Punico secundo, aliquid immortalis memoria dignum fecisse Romani rati sunt. Etenim historia, ut Cicero eam definivit, temporum testis est, magistra vitae, vita memoriae, nuntia vetustatis, quae in posteritatem omnem res gestas propagat. Cum tamen sermo solutus nullis neque certis neque definitis legibus etiam tum esset astrictus, qui in usum rerum narrandarum se contulerunt Graecum sermonem adhibuerunt — ex consuetudine enim cum Graecis noverant omnes — quo Herodotus, historiae conditor atque pater, res gestas Graecorum omnes ab originibus perpetua narratione prosecutus, patrium quasi poema quoddam sine versibus confecisse visus erat. Sed hi veterem scribendi consuetudinem secuti, sine arte, sine ornamentis monumenta temporum, hominum, locorum, gestarum rerum tantum, non quidem historias, reliquerunt.

*Cic. II. de
Orat. 9. 36.*

LVII. In vetustioribus rerum narratoribus, qui Graeco sermone usi sunt, Q. Fabius Pictor recensendus est, qui ex picturis, quibus Salutis aedes vel ab ipso vel prius a patre exornata fuerat, nomen invenit. Inter antiquiores fere omnes convenit, neminem ante illum Romae floruisse, qui oratione soluta historias narraverit. Livius eum scriptorum antiquissimum non uno loco dicit, quod quidem etiam Dionysius et Plutarchus testantur. Bello Gallico et Punico secundo cum

*Dionys. I.
'Ρόμ. Ἄρχ. 5
Plut. Rom. 22.*

*Liv. XXII.
ab. Urb.
cond. 57.*

interfuisset, post Cannensem cladem Dêlphos missus est ab oraculo sciscitaturus, quibus precibus supplicisque dei possent placari, qualemque tantis cladibus finem dei essent facturi; quae responsa, cum inde retulisset ex carmineque Graeco interpretatus esset, ad patres conscriptos in senatu recitavisse traditum est.

*Gell. IV.
Noct. Att. 4.3;
Non. de
Propr. 2. p.
170. M.*

Cum res gestas populi Romani inde ab condita Urbe ad suam memoriam conscripsisset: « Τὰ δὲ ἀρχαῖα » ait Dionysius « τὰ μετὰ τὴν κρίσιν τῆς πόλεως γινόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμεν »; praecipuus tamen a Livio auctor affertur de proelio, quod ad Trasumenum cum Hannibale pugnatum est. Historiam Graece composuisse satis elucet ex hoc Ciceronis loco: « quod nimirum in Fabii Pictoris Graecis annalibus eiusmodi est »; eam autem ab ipso scriptore vel ab alio Latine redditam esse Gellius atque Nonius testantur. Commenticias fabulas de Urbis origine ad similitudinem veri narravit, quod ex Varronis loco apud Quintilianum patet: « Varro » ait hic « in eo libro, quo initia urbis Romae enarrat, lupum feminam dicit, Ennium Pictoremque Fabium secutus ». Nihilominus eius auctoritatem permagni Livius et Plutarchus fecerunt; minoris Polybius, qui eum saepe mendacii accusat vel damnat.

*Liv. XXVI.
ab. Urb. cond.
23; XXVII., 7.*

LVIII. Eius aequalis L. Cincius Alimentus fuit, vir consularis; nam praetor anno quingentesimo quadragésimo tertio post Urbem conditam creatus est missusque in Siciliam, ut eam provinciam obtineret; quam quidem, prorogato in annum imperio, bello Punico secundo flagrante, a Carthaginiensibus defendit. E Sicilia reversus inter belli vicissitudines ab Hannibale captus est; cuius beneficio liberatus, a rebus publicis se removet et in Annales conficiendos totum in otio contulit. Hannibalis iter in Italiam ita narrasse suspicamur, ut ex illius ore, cum captus est, audierat; nam Livius eum testem exhibet in libro XXI alibique diligentem monumentorum auctorem appellat. Aetate minor fuit C. Acilius, vir ordinis senatorii, qui philosophos tres illos Carneadem, Diogenem,

*Liv. XXI. ab
Urb. cond. 38;
VII., 3.*

Critolaum, in conspectu senatus, ut interpres adhibitus, constituit. Hunc etiam historiam Romanam ab Urbis incunabulis ad suam usque aetatem litteris Graecis mandasse ex Ciceronis loco colligimus, in quo hic eius auctoritatem Polybio opponit; nec non ex duobus Livii, in quorum altero *Claudium* quendam Livius etiam nominat, qui annales *Acilianos* ex Graeco in Latinum sermonem converterit.

Cic. III. de Off. 32; Liv. XXV. ab. Urb. cond. 39.

LIX. In rerum narratorum numero ponendus est *P. Cornelius Scipio Africanus*, Africani Maioris filius, qui Minorem adoptavit. Cicero nobis auctor est eum historiam quandam Graecam dulcissime scripsisse. Tum quoque *A. Potumius Albinus* qui, cum in Achaïam a senatu una cum decem aliis missus esset, tanta prudentia eam administravit, ut honoris causa, ne videlicet suavissimi hominis memoria moreretur, Graeci ei statuam celeberrimo loco poni voluerint. *Cn. Aufidius* etiam ponendus, de quo haec apud Ciceronem: «*Pueris nobis, Cn. Aufidius praetorius et in senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, et Graecam scribebat historiam et videbat in litteris*»; *P. Rutilius Rufus* denique anni sexcentissimi undequinquagesimi consul, nec non *L. Licinius Lucullus*, qui bellum Marsicum, cui interfuerat, Graece narravit. Ex notitiis, quas ab antiquis rerum narratoribus deprompsisse recentiores fatentur, satis patet per vulgatas fabulas illas, quae de Urbis origine false tradebantur, non modo tamquam veras et certas ab illis assumptas, sed etiam multo copiosius ad incredibilitatem exaggeratas fuisse; a Livio nunc ceterisque rerum Romanarum scriptoribus has fabulas nulla fide dignas relatas invenimus.

Cic. Brut. 19. 77.

Cic. V. Tusc. 38.

M. PORCIUS CATO

LX. A communi consuetudine, quam omnes ad id tempus in referendis rebus secuti erant, primus *M. Porcius Cato* discessit, qui cum aetatem suam in patriis moribus ac disci-